



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

2. Cur læsi non facilè debeant, ad diuinum tribunal alios inuitare?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

CAPVT XL.

*Prouocationes ad diuinum tribunal factas, non facile imitandas esse.*

**D**olixè demonſtraui, multos pios, ſanctos, innocentes homines, à tyrannis, iniuſtè accuſatos, damnatos, necatos, ad diuinum tribunal, iudices ſuos, non ſine prodigioſo euentu miraculoque, euocauiffe. Demonſtraui hæc, vt Deum pauperum defenſorem, violentorum iudicem, Sanctorum exauditorum eſſe oſtenderem, atque vt, ex his iuſtiſſimis Dei iudicijs, metum frænūmque inijcerem ijs, qui, quidquid poſſunt, audent. Haud ambigo, nonnullos fore, qui documenta à me aliò deſtinata, aliò deriuent, & ſi tot exempla legerint Sanctorum, ea, ad imitationem propoſita, eſſe arbitrentur. Itaque cum plauſu iſta excipient, & ſibi ſummopere gratulabuntur, de reperto confirmatōque modo ac ratione ſe vindicandi. Quare iam nulla vetula rixabitur; nullus ciuis litigabit; nullus vel ſeruus, vel puer vapulabit, quin illico ad diuinum tribunal appellet. *Magna otia cali*, ſi illico fieri debet, quod petunt impatientes.

Meritò iſtis dicitur: *Nescitis, quid petatis: & illud: Petitis, & non accipitis: eò quòd male petatis: vt in concupiſcentijs veſtris inſu-* I.  
*matis.* Nam in primis, non omnia, quæ diuino inſtinctu Sancti fecerunt, ſunt imitanda. Deinde, quis ſibi ſanctitatem polliceatur? quis non falli poteſt, cum ſe ſe iudicat innocentem? *Nemo, in ſua cauſa, bonus index.* Amor ſui vnumquemque excæcat, vt non videat rectum quod eſt; rectèque ſe putet feciſſe, quando maximè deflexit ab æquitate. Quin & ira iudicium corrumpit, vt iniuriam maximam, iuſtam eſſe vindictam arbitretur. *Turbatus eſt à furo-* II.  
*re oculus meus,* ait ille. In Hebræo, pro *turbatus*, eſt, *caligauit.* Vbi *Matt. 20. 22.*  
*Iac. 4. 3.*  
quidem ſenſus eſt, oculus meus, propter furorem & indignationem meam, contra turpitudinem peccati, à fletu nimio, quaſi corruſus turbatus eſt, & caligauit: poteſt tamen etiam quiuis furioſus id dicere. Non finit enim furor hominem cernere verum. *Nam* Pſal. 6. 7.  
*non poteſt iratus in ſeipſo manere,* ait D. Chryſoſtomus, *ſicut in flu-* S. Chryſ. ho-  
*etis ſurgens mare. Ita commiſcentur omnia, & tanquam fons purus im-* mil. 62. ad  
pop.



*misso turbatur caso.* Quod veteres tragœdi, in Aiace flagellifero ostenderunt. Ajax enim Telamonius, ab Vlysse, in iudicio, victus, præ ira, insaniens pecora occidit, credens se Vlysses, cum socijs, occidere. Itaq; multi iracundia odióque correpti, & velut œstro perciti, bestias pro hominibus, homines, pro bestijs aspiciunt; & non rarò innocentes iudicant esse nocentes. Cum ergo rarissimè, qui læsi sunt, non fiant iracundi, facilè accidere potest, vt alios reos atque iniuriosos existiment, quando ipsi rei sunt atque iniuriosi. Quàm malè autem isti sibi consulerent, si rei ipsi innoxios ad diuinum tribunal, vbi omnia in aperto sunt, trahere vellent, accusandi non accusaturi? Neque enim existimare debent, Dei iudicia, esse sicut sæpe sunt iudicia hominum inexpertorum, aut affectibus deditorum, apud quos, *prior tempore, prior iure esse consuevit*; & vicisse est, præuenisse, quia *fauor est primò occupantis*. Non sic iudicat Deus, cuius sententia nunquam damnat innocentem, nunquam absoluit reum præuenientem.

III.

Tametsi ergo ea, de qua tot exempla enumerauimus, Sanctorum ad diuinum tribunal appellatio licita, diuinisque legibus contraria non fuerit: tametsi etiam constet, per eiusmodi exempla, diuinam mortalibus iustitiam innotuisse, Principesque multos didicisse, in subditorum sanguinem non esse desæuiendum, neque proculcanda iura: tametsi etiam mentes recti conscientia atque innocentia roborentur, per talia exempla, vt diuinæ iustitiæ fiducia niti assuescant: tametsi etiam prohibita non sit eiusmodi prouocatio, quæ eodem animo, iisdemque de causis suscipitur, quibus rex Dauid, Pontifex Zacharias, beatæ illæ animæ; Paulus Apostolus, Episcopus Benno, alique eam Sancti vsurpauerunt: quis tamen sibi polliceri potest, non solum eandem, cum istis sanctitatem, verum etiam eandem rectitudinem intentionis? Quàm citò se insinuat cupiditas vltionis? quàm facilè subrepi odium, aut alius immoderatus affectus, quo si prouocatio inquitur, non aduersarium, sed ipsum damnat prouocantem.

IV.

Non loquor hîc de illis, qui sciunt, se alios iniuste, ad vallem Iosaphat, vocare, & tamen vel malitia agitati, vel, vt innocentes videantur, citant; quos constat, citando mortaliter delinquere; quia & Deum pro iniquitatis fautore, aut certè ludibrio habent; & proximo grauiter nocent, quem, tanquam innocentia oppressorem, suggillant, ac iniecta vicina mortis imaginatione